

Bibliothèque numérique

medic@

**Daquin, Pierre - candidat / Gayant,
Louis - président. - An Arthritidis
origo semper ab Arteriis ?**

1673.

Paris

Cote : ms 79 n°1266

DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XVI. NOVEMBRIS.

M. LUDOVICO GAYANT Doctore Medico, Præsidente.

An Arthritis origo semper ab Arteriis?

DOLORES inter qui corporis artus occupant, alii medias regiones, quales lues veneræ proferre solet, alii articulos obfidet, quos Arthritis nomen complectitur. Hæc est sævus & insignis articulo-
rum dolor ex intervallis ferè invadens. Quilibet anni tempestate recurrit, præcipuè vere & autumno. Tota sunt Arthritis differentia quæ sunt ossa quæ per Diarthrosin colligantur: tribus tamen
tantum usus nomina indidit. Chiragra manus infestat, Podagra pedes, Ischias sedem habet ad summam sæm circa nervos qui à lumbis & ossæ sacro emergentes feruntur in crura. Quæcumque in alio fi-
gitur articulo, ut immanes humeri, & Omoplatæ cruciatus, generis nomine appellatur. Altera porro hæciana est quæ cum semine migrat in posteros; Altera adventitia, quæ vitæ errore contrahitur,
præsertim Baccho & Venere, maxime illâ quæ corpore erecto exercetur. In quibusdam regionibus præ Mouri & Austrâ, morbus est Endemius. Pauperes odit, molliis in umbrâ & otio viventes ag-
greditur. Parcit pueris ante Veneris ulum. Eunuchos non adoritur modò sine in victâ temperantia & à parentibus Arthriticis non orti. In senibus altas agit radices, in juvenibus citius dissipatur, neutris est le-
thalis. Hujus causâ proxima & continens non est simplex intemperies, sed serofus ichor Articulos humectat adherens.

ARTHRITIDEM à pituitâ, Bile flavâ vel atrâ non progigni satis patet ex vehementiâ doloris: addè quod humores illi faciliè in pus abeunt, cum tantillâ sanguinis habent admixtum, nulla autem
unquam in Arthritide suppuratio. Restat ergo ut humorem articulis infixum feram esse iteamus, illaque salinum, acre, aut acidum, quod quidem membranas sensu exquisitissimo præditas pungen-
do, devellendo, præ vario tum acrimoniæ tum tenuitatis gradâ diversa profert symptomata. Interdum calorem, ruborem & dolorem latè diffusum cum febre invehit, interdum cum dolore duntaxat se pro-
dit; modò brevi evanescit, sæpe diù discruciat, modò in tophos, & calculos concrevit, cum scilicet serum aliqûd advexit humoris crassioris & excrementitii quod temporis diuturnitate lentescens, tan-
dem indurefcit; vel cum aciditate suâ mucum articulo-
rum cogit.

FLUXIONE fit Arthritis, non congestione. Dolor dexter succedens sinistro novam fluxionem arguit. Humor influens non à cachexiâ oream ducit, nam cruditas incumbens in pedes tumorem facit
non Podagram. Non ex imi ventris partibus irumpit, viscida enim pituita quæ viscera infestat, potius cumulatæ quæ, vel uno die invadere nequit inferiores artus, nedum superiores, cum ad motum
omniò fit inhabilis, & ad illius deteriorationem longum temporis spatium exigatur, præterea nunquam renouat in renas, insipida est, hinc ad feriendum, vellicandum inepta; deniquè alvi fluxu excitato non
ideò edidit morbus, imò per totum paroxysmi decursum sæpe fluit alvus, eo superfluit. Nec ab externis causis partibus materia conservata sub cute decurrit in articulos, nam quid opus est ignotas & insolitas vias
comminisci, cum tot natura canales devehendis quocumquè humoribus destinaverit. Hi sunt arteriæ, quæ in universum corpus disseminatæ, & salutaris & pravi humores circumferunt: dùm acri serofoque
ichore plus æquo abundant, per ipsarum oratenuis ille humor excidit, qui si deerrudat in articulos imbecillâ viâ viarum amplitudinem, membranarumquè laxitatem, Arthriticis infert dolores. Non tamen
in arteriis hujus morbi fomes semper delitescit.

CEREBRUM omnium ferè fluxionum fons, humoris Arthriticæ processantis origo ab Hippocrate stabilitur. Illud summam corporis partem occupat, temperiemquè obtinet remissè calidam, Osseo
tegumento circumseptum est, ne irruentibus extrinsecus injuriis sit obnoxium: Verum nullo munitus adversus intestinos hostes presidio. Hi sunt tùm viscera æstuantiam fervor, quæ vapores salios
& acres sursum emittunt, qui quidem in hac frigidiori rationis arce sè quæ propter arctam ossium compagem avolare nequeunt) condensantur, & fatali nimbo in membra depluant, non secus ac vapores sa-
dis solaribus è terrâ elati, qui mediæ regionis frigore concreti in imbrem decidant: tùm humores quibet copâ vel qualitate molesti, quibus diu turgidum est inutilem coactur excutere sarcinam in subje-
ctas partes per meatus excrementorum secretioni dicatos, cum per eos se se exonerare non valet, qui datâ porta ruit noxius humor: inde tot morborum genera exurgunt, qualia sunt convulsio, Rheumatismus,
Epilepsia, Apoplexia, Paralytis.

PALAM est omnibus maximam esse affinitatem Arthriticæ inter & Rheumatismæ. Arthritici quamplurimi Rheumatismo se correptos prædicant, quasi Arthritis esset eâ divexatis probo & dede-
cori. Hoc est inter utrumque affectum discrimen, quod in illâ humor sit acrior & minor copâ. Ceterum in eisdem parte nempe cerebro utriusque origo sæpè latitat. Et reverà in primo Arthriticis in-
sulta percipitur ut plurimum dolor qui per vertebra in cubitos, & manus, coxendicem, genua, pedesque sensu devolvitur non sine quodam frigoris sensu quo corpus omne perhorrescit: Unde conjici po-
test serofum laticem à cerebro defluere secundum externos spinalis medullæ villos, qui ad articulos usque producantur. Nec propterea is humor Paralytim efficit, quippè qui internam nervorum substantiam
non pervadit, propter pororum angustiam, & motus rapiditatem; nec convulsionem parit, dum articulo adhærescit, quia in membranis & tendonibus impactus est non vero in principio nervorum.

Ergo Arthritis origo non semper ab Arteriis?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Raymondus Finot,
M. Robertus Esault, Scholarum Professor.
M. Matthæus Thuidier, Scholarum Professor.

M. Joannes Baptista Ferrand,
M. Carolus Moreau,
M. Antonius le Maine.

M. Joannes Armandus Mawilain.
M. Bertrius Dieuxvoysy.
M. Stephanus Bachet.



Proponcbat Lutetiæ PETRUS D'AQUIN, Parisinus, A. R. S. H. MDCLXXXIII.